



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Antonii Svcqvet E Societate Iesv Via Vitæ Æternæ

Sucquet, Antoine

Antverpiae, 1630

Caput 39. de ponderatione virtutis, & vitij

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54856](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54856)

CAPVT XXXIX.

De primo medio meditationem atque affectus ejus ampliandi: sive meditatio de Ponderatione virtutis ac vitij, & illius electione.

COMPOSITIO LOCI, ut in imagine. & ORATIO, ut supra.

PUNCTVM I. Considera Primò, quomodo Dominus omnia in pondere, numero & mensurâ creârit; & quantum magnitudine, dignitate, precio cœlestia hæc terrenis antecellant, & æterna sint à te momentaneis anteponenda. Intuere igitur illa, & ex horum aspectu affectum ad cœlestia attolle, illa enim creavit benignissimus Deus ut tu qui cælum assidue intueris, illius pulcritudinem, magnitudinem, & in hæc inferiora imperium & hæc ipsa in Deo tuo contempleris. Vide an ad cœlestia non tantùm caput, sed etiam animum perpetuò erectum habeas, & spiritualia ac æterna perituris anteferas, an verò illa segniter uti mundani tractes. Secundò attende quàm vera illa Davidis sententia: Verumtamen vani filij hominum, mendaces filij hominum in stateris, ut decipiant ipsi de vanitate in idipsum. Quantum autem id Deo displiceat, Salomon docet, dicens: Pondus & pondus mensura, & mensura, utrumque abominabile est apud Deum. O quàm iniquo pondere æstimantur cœlestia, quàm magno appenduntur terrena! Vide, quàm parvi materia virtutis, dura, aspera, serpens, sitis, ardor, arenæ, injuriarum tolerantia (quam S. P. Ignatius suis magni faciendam, summiq; momenti in cõspectu Creatoris ac Domini nostri asserit) paupertas item, esuries æstimentur ab hujus sæculi filiis; & contrà quanti honores, voluptates, genus, robur, opes, &c. faciant: imò nummum unum, verbum unum: sæpe enim, vel ob hoc, vel illum, etiam vitæ & animæ æternam jacturam faciunt; & veluti pueri de bullis & quilibet

*Sap. 11.
Deus omnia
fecit in pondere.*

Psal. 6.

Prov. 20.

*Judicium
mundi va-
num.*

quiliis disceptant; æterna veramque virtutem despiciunt. hinc tribunalia omnia litium ac litigantium multitudine obruuntur; æmulatio verò virtutis rara. Tertio, unde hæc contingant, & deprehendes ex eo, quòd finem creationis non respiciant, sed præsentia: si enim illi intenderent, nihil æstimarent ista, nisi quatenus ad illum iuarent: sicut infirmus medicum & pharmacum ponderat ex eo, quòd ad sanitatem utilia, & miles arma, & quilibet artifex sua instrumenta, in ordine ad finem suum. Vide an communi errore abripiare, quid te turbet, quid speres, & quo fine, an meliora eligas, habitâ ratione salutis tuæ. & ad particularia vitia tua, & virtutes quas exoptas, descende.

Aspira, ut sup. p. 8. Hæcine firma, &c. ibid.

PUNCTVM II. Considera nullos rectius hæc considerare posse, & appendere quanti virtus, quanti mundus, quàm eos, quibus ista specie suâ non imponunt, qui que precium eorum intimè cognoscunt. Vide igitur quanti Deus ipse ista mundi bona æstimaverit, tum quòd improbis bona hæc ferè largiatur, filiis autem suis, & bonis virtutem, atque adeò idcirco filium in terram misit, ut nos mundi despectum, virtutis precium edoceret. Tunc credis reipsâ Deo tuo? inspicere vitam ejus, & tuam. Secundo, quanti Angeli vana hæc & virtutem N. faciant, qui perpetuò ad eam nos adhortantur. Tertio, quanti dæmones, qui assidue dehortantur homines ex implacabili odio, & nihil non tribuunt suis servis & mancipiis, ut à virtute abducant; nihil timent, nullo domantur, nisi solâ virtute. non enim est potestas, ait Job, quæ comparetur ei. Quarto, vide quanto Ethnicis etiam improbis ficta & adumbrata virtus semper in honore fuerit, eamque reveriti sint, solo lumine naturæ illustrati: quibus honoribus illi suos, quos etiam habent, Anachoretas, sacrificulos colant, vanâ probitatis specie improbitatem summam velantes. Tu verò quanti facis? quantum laboras pro eâ? Quinto, ut
virtutem

Job. 41.

virtutem ames, considera quid sit virtus in se: nempe bona qualitas mentis, quâ rectè vivitur, quâ nemo male utitur, quàm Deus sine nobis in nobis operatur. Quid opras aliud, quàm rectè & beatè vivere? illa enim mala omnia vincit, & in vulnerabilis est, ac tales sui amatores facit, palmâque donat & coronâ, superat ardua, & petit volucris gressu atque alis cælestia. Deinde pulcritudinem ejus quasi intuere. Nihil certè, ait Lactantius, virtute pulcrius, nihil sapientiâ dignius inveniri potest, de hac agebat Plato, Si oculis conspici posset, mirabiles amores sui excitaret. Clemens Alexand. in Pædago, In solâ, ait, animâ apparet pulcritudo: & idè is solus, qui est virtute præditus, verè est pulcer, bonus, honestus: & solum quod pulcrum est & honestum, bonum esse statuitur. Sola autem virtus vel per pulcrum corpus apparet, & in carne efflorescit moderationis speciem amabilem ostendens, quando mores tamquam lux quædam in formâ resplenderunt. Ut autem id meliùs conspicias, considera Adamum in innocentia statu, ejusque mentem & animam benè ordinatam, & eandem post lapsum. Deinde considera virum hac vel illâ N. (pro quâ acquirendâ laboras) virtute præditum tibi notum, & attende quid in ejus intellectu, voluntate, memoriâ virtus efficiat: intellectum verum efficit, voluntatem rectam & tranquillam, memoriam sanctis cogitationibus implet; quid demum in corpore atque actibus ejus externis operetur. Tertio, inspicere Rempublicam, & vide eam solam benè ordinatam, ubi optimi Superiores aliis imperant, & sic esse animam virtute ornatam, quietam, pacatam, ubi virtute passiones sunt domitæ, ubi nihil timetur, nihil speratur. Sexto, considera virtutis originem à Deo esse, summo bono; vitium à dæmone, summo malo, imò verò vitium hominis summum esse malum, & virtutem summum & solum bonum. Nihil enim hominem bonum, sanctum, justum efficit præter virtutem; nihil improbum,

Lactant. l. 3.
instituit.
Plato.
Clem. Alex.

Virtus velut
lux in ho-
mine splen-
det.

Virtus in
alio conside-
randa.

August.

probum, nulliusque precii & malum præter vitium. Quæ verò dementia, ut omnia bona velint homines præter se? August. Bona ait, vis habere; & nõ esse. Quod cum ita sit, nihilque te bonum præter virtutem efficere possit, quid vanitatem & iudicium hominum aestimas, quid bona caduca, quæ vitium proponit? quibus habitus neque melior, neque beator eris, imò pejor & infelicio. *Hæcine vera*, ut supra pag. 7. vel *Iudicia tua Deus*, ut infra 563.

Quid vitium.

PVNCTVM III. Considera Primò, quid sit vitium, monstrum scilicet quod animam deformat, cæcam reddit, labe aspergit, morbi que plurimis affligit, & gravissimè triplicique telo vulnerat, scilicet in cogitatione, intellectu & voluntate, ut patet in superbiâ, avaritiâ, luxuriâ, irâ, &c. Finge igitur hoc, quod velles eradicatum in te, vitio laborantem alium notum aliquem tibi intruere, ejusque cogitationes, iudicia, sermonem &c. Deinde inspicere te, quid vitium illud in tuâ cogitatione &c. operetur, & detestare generosè. Cogita deinde Angelos pulcherrimos, & sapientissimos, & quid in illis mentibus effecerit superbię peccatum. Secundò attende ejus bona, si quæ sint, una cum toto mundo, vide an ullo pacto cum virtute ponderari possint aut comparari. Tertio, quanta sit virtutis N. libertas, quanta vitii N. servitus: quantum enim servit ambitiosus, avarus, gulosus, luxuriosus & quàm durę eorum leges? etiam si enim de animâ, famâ, vita que etiam aternâ agatur. Non possum, ait, &c. abstinere à vitio cui obligatus sum. Quarto inspicere infernum & attende super omnia quantum Deus oderit peccatum, ipse infinitum scilicet bonum infinitum malum. Quintò, quomodo omnibus bonis spiritualibus animam spoliaret, Dei amicitia, Spiritus sancti donis, fructu bonorum operum, denique eheu! delet è libro vitæ, &c. *Hæcine vera*, ut su. pag. 8. Considera, quid sit occasio virtutis, quàm calva à tergo, uti fingi solet, ita ut numquam recuperari queat; quàm studiosè acceptanda,

acceptanda, & vitium ejusque occasio vitanda; quanta
 ex illa neglectâ tristitia, ex hâc vitatâ lætitiâ consequatur. Sextò, considera quomodo uno aliquo heroico actu per occasionem oblato, sæpè fortiter eo utendo, in perpetuam se quis asserat libertatem; vitii verò similiter sese occasione laqueatâ objiciente, in perpetuam transferat servitutem: hanc fugere firmiter statue, & principiis ob stare: quia serò medicina paratur, qui que amat periculum, peribit in eo. Quantum, aiebat Seneca, possumus à lubrico recedamus, in sicco quoque parum firmiter stamus.

Occasione
 utendum.

Ecclesi. 3.
 Epist. 117.

Exercitium brevius ne cum mundo in virtutis precio erremus.

IUDICIA tua, Deus, vera, justificata in semetipsa. Credo tibi, & spero in te, & toto corde te diligo. Vtinam ego & homines saperent, & intelligerent, & novissima providerent. O stateram dolosam, in quâ virtus, & pax, & honor, & gloria appenditur, & tu simul omne bonum Christe JESU; & in aliâ lance peccatum, & servitus ejus, & tormenta, & tamen eheu! præponderant, & stultitia & injustitia placent, tu verò sapientia & bonitas infinita displices. Tolle à me insipientiam meam, ut sciam quò tendam, quem sequar, quò me virtus, quò vitium trahat; quanti apud te illa, quanti apud Sanctos & Angelos tuos, & prudentes omnes: & qui me amasti plus quàm te, ut sic loquar, cum mortuus sis pro me, fac ut vivam tibi; & propter te ex nunc in æternum, moriar mihi.

Exercitium longius.

CLAMABAT, Dulcissime JESU, ad te, cum adhuc peregrinus esse dignareris in terrâ hâc, cæcus sedens secus viam: JESU, fili David, miserere mei. neque quicquam petebat, nisi ut videret lucem istam brevem, instabilem, quam quotidie tollit nox, & alternant multæ vicissitudines. Sed (quæ est benignitas tua) dedisti ei, ut te etiam aspiceret solem justitiæ, lumen indeficiens, desiderium collium æternorum, lucem veræ fidei, & vanitatem rerum omnium dispiceret, ac te

Lucæ 18.

N 2

sequeretur

Pfal. 101.

Iob. 28.

sequeretur. Hoc lumen jam humiliter flagito à te, & quanto affectu, tu nosti, ò Sapientia eterna, hoc peto, dum tempus est miserendi, & dum venit tempus, id est, ut te amem, & inueniam, ac donum intelligentia tua. Nescit enim homo precium ejus, nec inuenitur hic in terrâ suauiter viventium, id est, hominum carnalium. Abyssus dixit: non est in me; ostuti enim hujus seculi non inueniunt eam. Et mare hujus mundi loquitur: Non est mecum. Abscondita es, ò Sapientia, ab oculis omnium viventium, & volucres cali, & sapientes hujus mundi, lates, sed, queso, ostende mihi faciem tuam, & saluus ero.

Doce me, ò Sapientia, estimare voluntatem tuam, & virtutem veram. Quis enim eam ritè estimat? egone? & diligo, & quero eâ super aurum, & topazium? ita cupio toto corde: omnes ut video, quæ sua sunt, querunt, & quæ sunt seculi hujus. Quid verò ego pauper & inops hodie moriturus? nõnne & mea queram, id est, te Deum meum, & omne bonum? quid enim mihi est in celo, & à te quid volui super terram? Queram ergo te, dum à me misero adhuc inueniri potes, invocabo te dum propè es ut venias, quia & hodie te mihi dare paratus es, & ego desiderio desideravi te suscipere. Et quorsum? ut videam te, & adhæream tibi, & unus tecum sim, & in lumine tuo videam lumen, & tenebras, id est, creata despiciam mundi hujus. Veni, veni lumen cordium, & fac de tenebris lumen splendescere, & amoris tui in me ignem accende, nihil aliud peto, uti spero; mentitur enim, scio, sæpè iniquitas sibi.

Applicatio
ad Com-
munionē.

Mundi vanitas
Pfal. 61.

Vitiorum-
que illece-
bræ.
Viti mala.

Virtutis
laus.

O quàm mendaces filii hominum in stateris, ut decipiant ipsi de vanitate in idipsum! pro virtute enim & regno calorum, & pro te, eheu! vix pes à terrâ levatur, appenduntur in staterâ nimis injustâ virtus & mandata tua, nam mundi bona longè preponderare consueverunt, virtus & lex tua convertens animas, & sanans omnes ferè contemnitur. Vitium verò ecce lethaliter vulnerans animas nostras, ita intellectum excæcat, ut suscipiatur, voluntatem obdurat ut queratur, memoriam sædat ut studiosè desideretur, & tamen fumo & flore citius perit, & transit; & trahit in mortem sempiternam, & abstrahit à te, ò via, veritas & vita. Quid verò virtus? nos tibi similes facit & proximos,

proximos, & filios charissimos ducit in patriam, & sola bonos facit ac beatos. Verumtamen contemnitur ista, sic vani filii hominum & mendaces decipiuntur miseri & decipiunt. Non est Psal. 135
 qui recogitet corde, omnes, aiebat ille, declinaverunt, & inutiles facti, vix est qui faciat bonum. O quanta, quanta cæcitas nos miseros premit, quanta tenebra! & nōmē tamen tu lucēs nobis, & de propinquo lucēs, qui omni horā paratus es venire ad me, ut illumines vultum tuum super me, & habites in me, & ego vivam in te, ut videam vanitatem mundi, & laqueos ac vulnera declinem? Sed eheu miseri! ruimus, ruimus ultrò in hostes, & laqueos avaritia, superbia, & luxuria, quasi ignari essemus, quomodo vitium gula vulneraverit Adam patrem nostrum, & arrogantia romphæa Angelos deturbârūt, quos cum Lucifero turpissimos, pessimos, crudelissimos, ex purissimis spiritibus effecit.

Sed hac est dementia & insipientia filiorum Adam, Redemptor mi, adhuc alta sperantur & spirantur, & servire libet vitio huic N. & illi, libertate sanctâ donatis, & sanguine tuo preciosissimo redemptis. Erravi & ego, Domine sicut ovis quæ perit, Psal. 118.
 quare, obsecro, servum tuum, quia mandata tua non sum oblitus, & deduc me in semitam rectam, occasiones devitare concede, & averte benignissimâ manu tuâ, ne unquam intrem in tentationem. Etenim video mundum hunc laqueis plenum, ubique pedicæ, ubique foveas. Quid verò alteri suaderem? quid filii sæculi prudentes in generatione suâ? ð JESV, ð via, ð Sapientia, ð veritas, ð salus unica, nemo evadet sine te, nemo vivens, aut moriens, seu vigilans, seu dormiens, nemo sine te, nisi enim custodieris animam nostram, frustra vigilat qui custodit eam: nisi domum adificaveris tu, in vanum laboraverunt, qui adificant eam: tu enim salus nostra, fiducia nostra, protector noster, & unicum refugium nostrum. Amen.

Praxis ad virtutem ac vitium ex merito ponderandum.

P RIMò, seriò considerare semitas domus suæ, & exquirere Adverte
 quæ malæ consuetudines, qui defectus in animâ, qui in quas. consue.
 N n 3 corpore,

rudines habeas pravas. corpore; & catalogum horum facere, atque super his aliorum exquirere iudicium.

Secundò, aliquando, saltem semel in mense, cum percurrere, & videre profectum & defectum.

Tertiò, referre alicui vel familiari, vel confessario numerum defectuum: quod apprimè utile observavit S. P. Ignatius.

Occasiones virtutis obserua,

Quartò, considerare potissimùm in vitiis & virtutibus, quarum corum sint occasiones; ut vel eas, si de vitio agitur, evites; aut amplectaris, si quidem virtutes earum fuerint. Magna enim probitatis ac salutis pars pendet à diligenti in utramque partem occasionis prævisione.

Quintò, sæpè se confundere ex eo quòd videas tot improbos, fures, latrones, tanta tolerare pro scelere perpetrando incommoda, imò etiam omnes mundanos, ut desideria sua expleant.

Vide ut quantum tribuisti mundo, tantum Deo,

Sextò, consideratis peccatis præteritæ vitæ, & laboribus pro mundo ejusque legibus toleratis, decernere quid simile pro virtute acquirendâ.

Septimò, numquam ob hominum gratiam, aut iudicium, aut rem ullam temporalem, virtutem piæque consuetudines deferere. illud enim esset eam minimi facere, eique rem vanissimam præponere: sed ea quæ semel probata ac decreta, constanter prosequi oportet. *Dignatus es*, &c. ut sup. p. 10.

IACVLATORIÆ.

- Psal. 12.* **I**llumina, Domine, oculos meos, ne unquam obdormiam in morte, ne quando dicat inimicus meus, Prævalui adversus eum.
- Psal. 118.* **D**a mihi intellectum, & scrutabor legem tuam, & custodiam illam in toto corde meo.
- Ibidem.* **I**niquitatem odio habui, & abominatus sum, legem autem tuam dilexi.
- Ibidem.* **Q**uomodo dilexi legem tuam, Domine! totâ die meditatio mea est.
- Ibidem.* **Q**uam dulcia faucibus meis eloquia tua! super melori meo.



XIII

18

DECIMÆOCTAVÆ IMAGINIS

ANNOTATIO.

Age, & vide quid amico de virtute delib-
ranti, & quo simili ei suaderes.

HAeres, & adhuc vis animum ad virtutem
reddere promptiorem? vide quid coram Deo
sincerè amico **A** suaderes, idq̄, facito. quod si reti-
nette **B** vitium, & maxime prava **C** consuetudo,
(qua quasi necessitas catenam necit, & à filo in-
cipiens crescit in rudentem) abrumpe: sequere **D**
simpliciter & **E** prudenter (quod serpente & co-
lumbâ notatur, Matth. 10.) ducem Angelum,
Christiq̄, in viâ rectâ consilium. Salutis **F** occasio-
ni in vigila. Excogita simile aliquod, aut dissimile
quo tibi **G** virtutem representes. Hoc enim **H** Do-
minus Iesus parabolis **I** pastoris, **K** satoris, **L** vineæ,
M prodigi usus, nos edocuit.

CAPVT